

XIII.

FRIDERICVS ERNESTVS MEIS.

FRIDERICVS ERNESTVS Meiß/Sacrae Theologiae Doctor, REV. ac SEREN. DVCI SAXO-NVMB. a Consiliis Ecclesiasticis, Ill. Consistorii Schleusingae Assessor, Pastor, Superintendens & Gymnasii Saxo-Henneb. Ephorus, Ecclesiae, Gymnasii, & Scholarum commodis vtilitatique adhuc dum inseruit studiosissime, & memorabili doctrinae officique cura. Natus est Marisfeldiae, pago Dnn. de Marschalch ab Ostheim, qui sesquimillari hinc abest, & terra quoque parens fuit Rectoris primi in Gymnasio Noribergensi Aegidiano, Io. Grauii, recensiti in Parte I. Historiae meae Scholasticae. Pater erat M. Io. Daniel Meiß/Pastor primùm Marisfeldiae, post Diaconus Schleusingae, in Diaconis infra afferendus, Avus M. Daniel Meiß/Pastor primùm in Belrieth & Einhausen/ & tandem Decanus Vvasungensis, iam A. 1635. mortuus, Mater extitit Christina Elifabetha, natalibus Glümperia. Dies natiuitatis fuit d. 26. Iun. A. 1658. Confecto Studiorum Scholastico-Gymnasticorum cursu Meiningae, Schleusingae & Coburgi, Academiam adiit Ienensem A. 1677. & Lipsiensem A. 1678. Lipsia, vbi Magisteriales honores ritu exemploque Maiorum capeffuit d. 31. Ian. A. 1684. Praefesque disputavit, in Daniam A. e. profectus est, partemque inuisit Sueciae; reuersus hinc in Daniam, Belgium petiit & Angliam: Redux inde quoque factus, varia Germaniae loca visitavit & Academias, & tandem in Academiam se contulit Kilonien-